



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

x. Capilli, lana, ungues, rostra, squamæ &c. non animatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

minus idoneæ ad vivendum in actu secundò,  
 Nequè Conc. Trid. docens, sanguinem po-  
 ni sub speciebus panis in Eucharistia vi con-  
 nexionis, quâ partes corporis inter se copu-  
 lantur; vult enim Conc. sanguinem habere  
 cum corpore vivo necessariam conjunctio-  
 nem, non physicam unionem, quam si ve-  
 luti pars vivens, & primariò constituens, &  
 physicâ unione integrans corpus haberet, vi  
 verborû formaliter fieret præsens sub specie-  
 bus panis. Neq; quòd Verbum hypostatice  
 assumpserit sanguinem; illud enim tantum ani-  
 matur, quod veluti primarium ex primariâ  
 intentione assumptum fuit, nõ illud, quod in  
 ordine ad primarium est assumptum. Unde  
 tamen Verbum non dicetur assumpsisse duas  
 naturas diversas; sanguis enim cõjunctus cor-  
 pori vivo non censetur natura completa, sed  
 ordinata ad naturam viventis. Atq; ex his te-  
 quitur, neq; lac, neq; medullam, quæ ossiû est  
 nutrimentû, neq; spiritus, utpote quæ omnia  
 substantialiter videntur esse sanguis, animari

X. Probabilius videtur, capillos, pilos,  
 lanam, aculeos herinaciorum, ungues, rostra,  
 squamas, testas, conchas, cutem ultimam,  
 non animari; nequè enim sentiunt nequè nu-  
 triuntur.

triuntur, sed accrescunt per juxtapositionem; gignuntur siquidem ex materia rejectanea & excrementitia, terreo nempe & fuliginoso halitu concoctionis ultimæ foras protruso; (ad quod ajunt Adversarii, etsi harum partium alimentum respectu partium nobiliorum sit excrementum ab iis rejectum, non esse tamen absolute excrementum) cujus hoc est indicium, quod capilli crescant solum in longitudinem, & quod notata in ungue duo puncta semper æqualiter à se distent, tamquæ diu protrudantur, usquæ dum ad extremum digiti perveniant; item quod crescant in cadaveribus (ad quod ajunt aliqui; quod postquam per mortem animalis orbata sunt animâ sensitivâ, informentur animâ vegetativâ), vel quod semper, etiam vivente animali, animâ vegetativâ informata fuerint, creverintquæ sicut gramen in terra; item non habeant certum crescendi terminum, nisi per accidens, in quantum, ni resceatur, propter magnitudinem & gravitatem, virtus expellens materiam excrementitiam impediatur ab ejus ulteriore protrusione. Quod verò in

o 2

pueris

pueris capilli sint magis graciles, inde est, quod eorum pori tam ampli non sint: quodque canescant quandoque unâ nocte, est à qualitate ad eorum radices productâ diffusâ dein, ad partes remotiores capillorum, (qui etiam si permittantur hanc qualitatem, imò suum alimentum per poros suos attrahere fit tamen hæc attractio mortuo modo, sicut lana rescissa & spongia attrahit aquam) quodque unguis habeant certam figuram, est à partibus vicinis certo modo excrementum à se expellentibus.

XI. E contra probabilius videtur, cerebrum animari, utpote quod tanquam organum sensus interni, officina spirituum, & pars principalis corporis, nutritur, ut indicat pervagantes illud venulæ, neque omnino discontinuatur à partibus animalis, sed per minutissimas fibras conjungitur meningibus, & hæc aliis partibus, etsi hæc conjunctio tam notabilis non sit, quod vult Arist. inquit, cerebrum numerandum non esse inter partes corporis continuas. Imò quod possit exemptum & discontinuatum, adeoque destitutum animâ, subito reponi, & productâ novâ unione integrali inter illud & partes vicinas, rursus anima-